





GENIUS PATRIÆ

SUPER

DORMIENTIBUS SUIS FILIIS:

SEU

FOLIUM PATRIOTICUM,

PRO

INCOLIS REGNORUM

CROATIÆ, DALMATIÆ, & SLAVONIÆ,

IN EXCITANDUM, EXCOLENDÆ LINGVÆ PATRIÆ

STUDIUM

A

JOANNE DERKOOSZ.

Sunt autem optimæ curæ de salute Patriæ.
Cic. in somn. Scip. Cap. IX.

Zagrabiæ,
Typis Francisci Suppan.
1832.

O patria salve lingva! quam suam fecit
Nec humilis unquam, nec superba libertas;
Quam non subactis dedit Civibus victor,
Nec adulteravit inquilina contages;
Sed casta, sed pudica, sed sui Juris
Germana priscae fortitudinis proles.

Hugo Grotius
apud Farr. Lib. III. pag. 215.



Scripta sunt haec folia, ut, quantum in me est, conferam ad excutiendum gravem illum somnum, qui jam per saecula nostris incumbit palpebris; ut et nostrae Patriae filii, scientes, quale foris bellum geratur literarium, qualesque lauros ipsis Victoria, si ad arenam descenderent, et pugnae onera forti sustinerent humero, porrectura esset: dejecto tandem ferali torpore, Patriae charissimam gemmam — lingvam vernaculam — ad ignem purificantem ferre, indeque, mundatam faecibus, referre tandem non tergiversentur.

Multae, quas feci, citationes inde explicari poterunt, quod non studuerim, propriis referre victoriam armis;

sed quod conatus mei omnes illuc directi fuerint, ut referatur victoria, cujus demum cunque armis.

Adversarios, si qui invenirentur, rogo cavillationibus omnibus abstinere; his enim quivis ex ima etiam plebe jaculari scit; si quid *autem* novisti rectius istis, candidus imperti; si non, his utere mecum. *Horat.*

Si quae svasi, non mandavi; consilia autem non rejiciantur cum amaritudine. Dabam Zagrabiae Mense Aprili 1832.

J D.

Modernis, in puncto scientiarum adeo revolutis temporibus non parum est audire, pro Patriotismo facundis non minus, ac sterilibus debacchari verbis. Omnis angulus Europæ mensuram talium habet ad effusionem usque plenam; vix enim centum proferuntur verba, inter quæ unum alterumve tangere non videretur metam Patriotismi. At, quod magis mirandum restat, pro singulo frusto terræ alienæ, in quo vix aliquoties vidit solem oriri, paratus est fundere super eo verba Patriotismi quam plurima; sed — Superis sint grates, plerumque vacua. Quid enim energiæ, efficaciæ, et virium in verbis adest ejus, qui pro illa ipsa re, quam ipsa natura cordi ejus ligavit in teneritudine juventutis, cum levitate alioquin summa, alienam, in qua lucellum aliquod sperat, suscipit? qui propriam denegat Patriam et nationalitatem, quasi illum ejus puderet, aliamque ex toto (saltem externe) suscipit corde. Contra hos et tales omnia licere corripere calami arma, vix cuipiam dubitanti cesserim; mei tamen hicce ex præscriptis terminis haud esse, adeoque contra eos nec bellum me movere velle, fateor; ex proposito namque de patriotismo in genere, ejusque objecto uno tantum, non item de et contra tales typum occupavi.

Me verbis illis I. I. Rousseau „*Terminus uterque, patria et civis, ex novis expungi debent lingvis*" hic insurgere velle, minime supposueris; non forte propterea, quod tunc materia loquendi mihi subtraheretur; sed quia datur patria, dantur cives. Rousseau'i enim verba contraria sunt toti erudito orbi. Ne tamen sortem multorum, qui quidpiam occasionaliter de patriotismo fari gestiunt, ingrediar, quærendum mihi restare video punctum, in quo cardo dissertationum quiescat mearum, quærendum est, quid *patria*, quid *patriotismus?*

Communiter dicunt patriam terram illam, in qua nascimur et educamur; alii addunt: *perseverentiam in illa* essentialem esse ad id notam; alii statuunt iterum alia. Mea est sequens opinio. Distincta est patria sensu communi, distincta iterum sensu juridico - naturali, distincta pariter sensu juridico - positivo; ad quas addo patriam sensu genealogico.

Patriam sensu communi esse terram, in qua, consumptis aliquot annis, ultro manemus, cum proposito non excedendi exinde, plurimi, spero, admittent. Etenim tantum nasci et educari, non item porro in loco natali vivere, vere non potest significare illam patriam suam. Acanthis, quem per quatuor forte annos claustro tentum arcto, optime nutriveris, quid si tibi reponeret percontanti „*non hos carceres, sed nidum suum sibi esse patriam, adeoque chariorem, tuis proin donis ingratitudinem reponeret*" quid, dico, face-

res? an non comminueres caput ejus? — Præterea characteres hi „*nasci et educari*" ambiguum dant de patria sensum; quid ergo tantum pagus ille, aut oppidum, aut urbs, in qua characteres hos accepisti, est tibi patria, non item totum Regnum, aut Imperium, aut quomodo illud cunque appellare lubuit?

Altero sensu, juridico utpote naturali, dico patriam illud solum, cujus per pacta fundamentalia, quibus Civitates juridice condi poterant et possunt, particeps redderis. Promittis namque in primo pacto, te cum aliis, voti capacibus, societatem civilem inire, et ad finem ejus, securitatem utpote omnimodam Jurium, et Felicitatem, verbo, salutem publicam, unitis viribus obtinendam pro justo et æquo conferre velle. In altero vero pacto et tertio consentis in formam Regiminis, et Subjectum Imperii, seu Imperantem. Hæc proin hoc sensu est patria tua, cujus per Consensum in tria hæc pacta, sive tacitum sive expressum, fis civis.

Sensu tertio, seu juridico-positivo, patriæ notio congruit cum præcedente; unico cum hoc discrimine, quod hic positivæ leges determinent conditiones susceptionis in Civitatem, sicut et mansionis post nativitatem.

Sensu denique genealogico patriam dico illam gentem et ejus solum, ex cujus gremio primæve descendo, seu quacum idem commune habeo stamen. Hoc sensu dico Polonum meum patriotam. Scio equidem, sensu hoc patriam multos habituram adversarios; cum

excedentem nido natali, et in alia obligatum civitate, vetent quidpiam. Interesse erga solum natale in præjudicium Reipublicæ, in qua se locavit, exserere conditiones receptionis. Neque ego valeo veritatem hanc naturæ subruere; obmovebo tamen, dari sensu restricto etiam talem patriam.

„*Nescio*, ait Ovidius *), *qua natale solum dulcedine captos ducit, et immemores non sinit esse sui*", sub quo solo Romam seu lares suos paternos intellexit. Scrutare et tu lector, si genti tuæ ereptus, cum alia concivilitatem tenes, an non catenas quasdam sentias in interno, quæ te in illam trahant nationem, ex cujus sinu prodiisti! Quære ex Svevo Magyarizato, an non dulcedinem sentiat quandam, si laudes ipsi recenseas, aut angorem, si vituperia fundas in Germanam gentem? An non dicit Anglus, Calcuttensis **) civis, sibi veram patriam non esse Calcuttam, neque Indiam, sed ipsam Angliam, Indiam vero esse solam mansionem? Acrem ubique invenies defensorem gentis suæ, undecunque ille originem trahat suam. Vox ergo sensus interni quid tam vilis erit apud te, ut illam simpliciter supprimas? — vix crederem. Concedes certe et tu, talem, dum officiis in patriam suam (juridico sensu acceptam) jam satisfecit, coram omni tribunali legitimare posse suum etiam realem

*) Libr. 3. Tristium.

**) Calcutta, metropolis in India Orient. Societatis mercatoriae Londinensis.

et effectivum conatum, quidpiam pro posse suo, plus tamen, quam per leges virtutis erga eo-existentiales homines adigatur, conferendi ad utilitatem gentis suæ, ex qua descendit; nec tu potes omne vinculum naturæ per unicam secessionem rumpi consentire. Datur ergo et genealogico sensu patria. Si tibi autem terminus *patria* non placet, substitue alium, non enim de termino, sed de re est sermo.

Quid autem sit amor patriæ, seu patriotismus, (ut et hic satisfaciam quæstioni supra positæ) respondebo sequentibus:

Cl. Szibenliszt dicit in *Institutionibus* suis *Juris naturæ* Tom. II. §. 187. *amorem patriæ* (Patriotismum, ut solus exprimit) *in voluptate ex ejus* (Civitatis) *perfectione consistere*. At definitionem hanc posse ubique crisin sustinere etiam philosophicam, vix non liceret dubitare, *Patriotismum*, clamat etiam eruditus orbis, *cives habere debent!* Quid sibi volunt hæc verba? Interpretor ego mihi, non aliud, quam *quod cum applicatione virium exactâ dulcedo aliqua et solamen in patriam conjunctum esse debeat.* Sufficitne enim tantum lætari super salute suæ civitatis, non item realiter sua conferre? Certe civis, unilateralem hanc fovens vocationem, non est bonus civis, non est patriota. Patriotismus consistit proinde in exacta et lubenti officiorum tam juridicorum, quam et Ethicorum in patriam suam expletione, et in voluptate super ejus salute.

Præmissis hisce, tamquam præliminaribus, transeo ad ipsas theses mihi propositas resol-

vendas, inter quas primo stat loco, quod regna tria unita, *Croatia*, *Dalmatia* et *Slavonia* triplicem habeant patriam, et tottuplicem patriotismum, Austriam latissimo, Hungariam eodem sensu sumtas, et tria unita præfata Regna.

Considerando leges fundamentales Imperii Austriæ, *Sanctionem* nempe *Pragmaticam* Caroli VI. Imperatoris, *Legem Pragmaticam* de Anno 1804, et *Constitutionem Pragmaticam* de Anno 1806. Francisci I. Imperatoris, omnibus, quibus Sceptrum præest Austriacum, est una patria; omnes enim obligamur, commodis proportionaliter, ad colossale illud ædificium, ad salutem publicam, conferre. Etenim omnes consensimus in tria illa supra attacta pacta fundamentalia „*eundem Principem veneramur, necessitates, totam Monarchiam tangentes, præcipue bellorum tempore, mutuo sortimur; diversis utut legibus et constitutionibus, uno tamen eodemque spiritu, ad felicitatem Totius tendente, Monarchia, pluribus constans Regnis et provinciis, regitur et gubernatur; communia sunt quam frequentissime Monarchiæ toti fata non minus prospera, quam adversa; Politica ditionis unius, ditionibus aliis, coronæ et regiminis communis nexu copulatis, derogare nequit; salus denique totius est etiam salus partium*" et vice versa. Hoc proinde sensu omnes unam habemus patriam; et, cum patriotismus consistat in expletione accurata officiorum in patriam, conjuncta cum voluptate super salutis publicæ incrementis,

omnes unum quoque patriotismum alere debemus animo, quem generalem appellare placuit. Et hic est vinculum illud, quo longe lateque diffusi Incolæ terrarum Austriacarum arctissime uniuntur, ad quem velut unum punctum corda animique illorum directa conspiciuntur. Hic est patriotismus ille primus, quem incolæ trium horum Regnorum ut sanctum quidpiam et inviolabile in ara cordis sui nutriunt.

Penes hunc generalem dantur in Imperio Austriæ etiam particulares patriotismi; quorum unum habet Regnum Hungariæ, Partesque ei adnexæ, idque ex fundamento. Leges enim illas tres fundamentales, quæ nil sunt aliud, quam pactum Unionis et Subjectionis in Jure naturæ, ipsi Hungari cum omnibus reliquis incolis Imperii Austriaci habent communes: at pactum Constitutionis, quo certa Regiminis forma introducitur, et stabilitur, quodque in legibus fundamentalibus specialibus Regni Hungariæ, in specie, in *Bulla aurea Andreæ II.*, in *Pacificatione Linciensi et Viennensi*, in *tribus Cardinalibus Nobilium prœrogativis* an. 1741. confirmatis, item in *Sacro seu Inaugurali Diplomate* expressum adest, pactum, dico, Constitutionis diversum est Hungaris præ cæterarum ditionum. „*Est nempe Hungaria regnum liberum, suique Juris, nisi a lege et Rege suo dependens, et peregrinis gubernari legibus vetitum; habet Hungaria sua Dicasteria et aulica et provincialia, suam Curiam, suum forum; cum Rege suo tantum, et cum nemine alio de salute sua init consilia: leges*

condit cum Rege, et his, nullisque aliis panet."
Diversæ proinde viæ, diversa pacto Constitutionis stabilita sunt media pro salute publica consequenda. Necessario debet ergo et Interesse aliquod speciale in hæc media competere; quod Interesse cum vocetur patriotismus, talis Hungaris penes illum generalem concedi debet, qui particularis audit. Et cum tria hæc adnexa Regna, omnibus, quibus ipsi intra terminos Hungariæ strictæ contenti, fruantur Juribus, eundem quoque iis concedas, necesse est, patriotismum particularem.

Progredior ad tertium, præfatis Regnis proprium, patriotismum enucleandum; pro qua meta tangenda tendi video debere arcum historicum.

Ad Croatiam antiquam tempore illo, quo hæc sub Colomanno Rege cum Hungaria conjuncta est, pertinuisse quoque, si non totum, certe potiorem partem moderni Regni Slavoniæ, ex documentis antiquis certum est; cum Croatia et Slavonia tunc fuerint conceptus identici. Reliqua vero pars, in fauce Dravi et Savi sita, quæ forte tempore illo huc non pertinuerat, tempore adjectionis suæ ad modernum Regnum Slavoniæ, particeps facta est omnium Jurium municipalium, quibus Regna hæc gaudent. Quo præmisso Regni Croatiæ cum Hungaria Conjunctionem proponam, ut ita fundamentum Patriotismi hujus tertii perspiciatur.

Conjunctio Regni Croatiæ cum Regno Hungariæ sub Colomanno an. 1102. facta est

cum receptione omnium pactorum fundamentalium, quibus Hungaria tunc nitebatur; insuper tamen adjecta est conditio ex parte Croatarum: „*Ut omnes teneant suum pacifice et quiete.*“*) Jam vero Procopius loquitur in suo libro 3-tio „*Slavinorum nationes ab antiquo communi libertate vivunt, et idcirco res omnes, quæ vel utiles sunt, vel forte difficiles, in commune Consilium deducuntur.*“ Hanc Constitutionem Croatis attunc propriam fuisse, testatur insuper Privilegium Tirpimiri Croatarum Ducis, anno 838. editum, in quo hæc verba inveniuntur, quod *juxta Commune Consilium suis cum omnibus Zupanis* (Comitibus) etc. etc. Constitutionem hanc sub ipso Zvonimiro adhuc exstitisse, patet ex ejus Privilegio, mediante „*quo anno Christi M.L.X.XVIII Zvonimir, qui et Demetrius Rex totius Croatiæ simulque Dalmatiæ, cum Gregorio Croatico Episcopo, et Tepoii Dominico, suorumque Comitum aliorumque Nobilium communi fulcitus consilio - - - etc.*“ Eandem Constitutionem per ipsum Colomannum Regem post conjunctionem facto roboratam fuisse, exhibet Privilegium MCXI. anno Ecclesiæ Arbensi datum, quo roboravit Parochias eidem Ecclesiæ proprias „*Cum utriusque Regni universo Consilio*“ (Croatiæ nempe et Dalmatiæ, de qua posteriore inferius). Ergo reservarunt sibi

---

*) Apud Thomam Archi-Diaconum Spalatensem in Historia Ecclesiae Salonitanae, cum uberiore Conjunctionis hujus narratione.

Croatæ Constitutionem suam in Conjunctione illa, proinde et media ad illam conservandam, et ad finem communem secundum illam obtinendum, seu reservarunt sibi fundamentum, super quo Jura omnia, quibus usque Conjunctionem fruebantur, et Jura Municipalia, postea sibi asserta, quiescunt. Debet ergo iis et Interesse aliquod in Constitutionem hanc concedi; et cum Interesse illud sit Patriotismus, hic hisce quoque tribus Regnis penes præcedentes duos intactus relinquendus est.

Ast ne dixeris, Regnum Dalmatiæ hinc esse penitus exclusum; cum in Conjunctione illa supraattacta Dalmatæ subintellecti haud fuerint. Quod enim Diplomata, per Lucium Tragurinum in L. II. C. 8. producta, dicunt, Dalmatiam utpote domesticis Croatarum Principibus a Crescimiri Petri ætate, proin circa annum 1052. jam paruisse, Jusque Croatis in Dalmatiam fuisse, infallibile est. In specie legere hoc est in Privilegio Zvonimiri supracitato, in quo „*Rex totius Croatiæ simulque Dalmatiæ*" scribitur. Dein Colomannus dato Dalmatis, super non violandis veteribus eorum immunitatibus Juramento, susceptaque Belogradi Regnorum horum Corona, accepit titulum „*Regis Croatiæ et Dalmatiæ.*" Celebrando præterea Comitia cum utroque hoc Regno edidit Privilegium Arbensi Ecclesiæ supracitatum „*cum utriusque Regni universo Consilio.*" Licet proin Colomannus, post conjunctionem Croatiæ cum Hungaria, Dalmatiam armis potestati Venetorum subtraxerit; non ideo pri-

vavit eos juribus suis, sed concessit illis eadem, quæ et prius possederunt; cumque hi Dalmatæ cum Croatis uni subfuerant Regi, habuerunt etiam Jura Croatis propria; mansit ergo et illorum Constitutio, cum habuerint eandem cum Croatis, etiam post conjunctionem salva.

Hic est tibi, chare lector! flos ille nobilissimus, cui multas tuas consecrare debes curas, quem, ne pruina, aut ipse ventus malus, aut nebulæ miasmatibus imprægnatæ vel contingant, in caldario cordis tui servare debes; hic est flos ille, qui te distingvit a vano, levi, et imbelli cive, qui tibi ubique terrarum parat locum honoris; quem omne, quod vivit, inæquali tantum cum Conscientia, adorat, nutrit, et roborare continuo pergit; quem ipse bubo, ex instinctu quodam irresolubili, repetendo nempe nidum suum, in quo primam conspexit lucem, non rejicit. Serva ergo id, quod bubo ex solo instinctu facit, ex rationis dictamine, ut aliquid sanctum et inviolabile. Serva id, quod ipsa ætate vetustissima legislatores omnes plurimum occupavit, cui Lycurgus ille ferreus ipsum amorem parentalem *), amorem conjugalem **) omnes demum vias, quæ ad eum non duxerunt, immisericorditer immolavit. „*Alles, was Menschenseelen fesselt,*

*) Sobald das Kind geboren war, gehörte es dem Staate, Vater und Mütter hatten es verloren.“

**) „In Sparta gab es keine eheliche Liebe, keine Mutterliebe, keine kindliche Liebe, es gab nichts, als Bürger, nichts als bürgerliche Tugend.“ Utrumque in Schilleri Lycurgo.

und Leidenschaften entzündet, alles ausser dem politischen Interesse, hatte er (Lycurg) *durch seine Gesetzgebung entfernt. Eine einzige Tugend war es, die in Sparta mit Hintansetzung aller andern geübt wurde — Vaterlandsliebe. Zu Hause fand der Spartaner nichts, das ihn hätte fesseln können; alle Reitze hatte der Gesetzgeber seinen Augen entzogen. Nur im Schoosse des Staates fand er Beschäftigung, Ergötzung, Ehre, Belohnung, alle seine Triebe und Leidenschaften waren nach diesem Puncte hingeleitet. Das Vaterland war das erste Schauspiel, das sich dem Spartanischen Knaben zeigte, wenn er zum Denken erwachte. Er erwachte im Schoosse des Staates; alles, was um ihn lag, war Nation, Staat und Vaterland.*" *) Tales et tantas tulit Lycurgus patriotismo victimas! — Ubi fundatur Heroismus ille ad Thermopylas? In Patriotismo! *Erzähle Wanderer, wenn du nach Sparta kommst, dass wir, seinen Gesetzen gehorsam, hier gefallen sind!*" **) Ubi Spartanæ illius matris animus, quæ, audito eo, quod filius ejus victima ferocis Martis ceciderit „*idcirco*, inquit, *genueram, ut esset, qui pro patria* (ipsam) *mortem non dubitaret occumbere!*" ***)? In patriotismo! — Ubi fervor ille Demosthenis in orationibus suis, dum Philippus Macedo foribus imminebat Athenarum? In Patriotismo!

*) Schilleri Lycurgus.
**) Schiller ibidem.
***) Cicero Quaest. Tusculanar. L. I. c. XLII.

(Dignæ orationes, ut aureis scriberentur literis; non, sed ut perdius et pernox juvenis et senex illas volveret!)

Nec minus Solon, sapientissimus ille orbis antiqui legislator Atheniensis, oculum direxit suum in punctum hoc. Non mandavit ille patriotismum lege; vias absconditas et teneras erexit ille, per quas infallibilis fuit ad eum adventus. Demonstrat hoc Ostracismus *), qui ex natura sua meritissimum tantum feriit civem, potentia sua inter cæteros eminentem. Ut Respublica salva maneat, immolabatur potentissimus civis! *Der Athenienser war gross im Glücke, und im Unglücke standhaft — und dann kostete ihn nichts, für das Vaterland alles zu wagen. Mit unzerstörbaren Zügen war der Staat in die Seelen der Bürger gegraben* **). Immensus forem, si tibi legislatores vel potiores, factaque heroica, ex patriotismo derivabilia, hicce proponerem. Lege, circumspice, et resarcies defectum. Hoc unicum adhuc notasse sufficiat, semper et ubique tales, qui nullum haberent patriotismum, tamquam tepidos, ore omnium ejectos, et sinu Societatis sanioris expunctos fuisse et esse. Ad quid enim campana sonum non edens? Lege et sume tibi cordi, ut non incidas in sortem talium, verba non minus venusta, quam firma cel. Schiller.

Ans Vaterland, ans Theu're
Schliess dich an,

---

*) Poena exilii pro decem annis.
**) Schilleri Solon.

Das halte fest mit deinem
Ganzen Herzen,
Dort sind die tiefsten Wurzeln
Deiner Kraft.

Et hæc sufficiat exarasse de patriotismo in genere. Plura legere potes in „*Niemann, Etatsrath, Prof. Ritter A. Der Vaterlandsliebe Wesen und Wirken, Kiel* 1828. 8-*vo in Bibliopolio Universitatis*", quem ob brevitatem temporis et magnam distantiam ipse accipere nequibam.

Descendam modo ad essentiale, ut ego puto, objectum ejus, quod est lingva patria, ejusque cultura et perfectio; cujus et utilitatem et media exponere adnitar.

Penes conatus Hungarorum in lingva sua perficienda enormes, et torrenti potius, quam illi modo, quo musa amari vult, simillimos, facile dubium aliquod cuipiam subversari potest, an nos jus quodpiam habere possimus ad perficiendam vernaculam nostram Dialectum; ex eo, quod salus publica sit meta illa, ad quam non tantum Hungaria stricte sumpta, sed et tria hæc Regna pro viribus contendere debeant, inter multa autem media lingvam Hungaricam unum ex præcipuis esse vehiculis. Hæc et talia argumenta per quemvis elidi posse, nullus dubito; quapropter nec de insufficientia ejus ad salutem publicam quidpiam conferendi (ut per id refutetur dictum illud „*inter multa autem media lingvam Hungaricam unum ex præcipuis esse vehiculis*"), quam ipse unus Hungarus in opusculo cum titulo „*ali-*

quid circa lingvam Hungaricam" ad evidentiam deduxit, exponere, cum extra sphæram sit meam, suscipio. Unicum circa punctum hoc notabo, nobis 1-mo non tantum nullam hucadusque inesse obligationem, quidpiam ad culturam lingvæ Hungaricæ conferendi; verum 2-do nobis expressum adesse Jus, nostram Dialectum colendi perficiendique.

Veritas primi puncti mox stabiliti patet vel ex conjunctione Croatiæ cum Hungaria, facta anno 1102., in qua conditio illa supramemorata, „*ut omnes teneant suum pacifice et quiete*" adjecta est. Jam vero lingvam latinam tum Dicasterialem apud Croatas fuisse, testantur omnia Diplomata, Privilegia, aliaque scripta publica per Lucium aliosque producta. Ergo pertinebat lingva latina ad proprietatem Croatarum. — Utrum vel alicubi in Documentis antiquis invenitur conditio illa, in quam Croatæ tempore illo consensissent, quod lingvam, quam Hungaris lubuerit Dicasterialem facere, assumpturi sint? — Utrum penes Conditionem „*ut omnes teneant etc.*" expressam, alia ei adversa prudenter *supponi* potest? Serius autem nulla lata est lex, quæ jugum hoc ipsis imposuissset; imo insultus omnes, quos in puncto hoc inde ab anno 1790 experitur, strenue hucadusque retudit, eisque omnem pro futuro ademit vim anno 1805. quo Status et Ordines Regnorum Croatiæ, Dalmatiæ et Slavoniæ congregati, condiderunt Statutum, ut in gremio eorum negotia publica non alia quam latina lingva (Hungarica proin pro perpetuo exclusa)

pertractentur. Statutum hoc secundum inviationem art. 120. 1715. Suæ Majestati Sacratissimæ pro benigna Ratificatione substratum per Suam Majestatem Sacratissimam mediante Benigno 6-ta Februarii 1806. edito Rescripto clementissime confirmatum est.

Thesis secunda, utpote, quod Incolis Regnorum Croatiæ, Dalmatiæ et Slavoniæ Jus competat, negotia omnia circa vernaculam suam lingvam suscipiendi, proinde illam perficiendi, verificatur per Art. 58. anni 1791. per quem Statibus et Ordinibus Regnorum Croatiæ, Dalmatiæ et Slavoniæ Jus, negotia sua municipalia in generalibus Congregationibus suis pertractandi, jam partim ex antiquissimo usu, partim Constitutionibus Regni Slavoniæ 1492 et 1538 corpori Juris, et Protocollis Regnorum horum insertis, alioquin firmissimum, tantum confirmatum est; jam vero ad Negotia municipalia Lingvam quoque Patriam pertinere, quis neget? Cumque SS. hi, et OO. Negotia hæc municipalia in Optimum nonnisi Regnorum horum dirimant, lingvæ vero cultura vernaculæ Optimum hoc potenter promoveat; patet, cur justi sint anticipati conatus jam moderni, cur item justissimi sint futuri, quiqui suscipientur.

Neque ex Statuto illo municipali 1805 lato, *„quod lingva tantum latina in hisce oris Dicasterialis esse possit"* deducere fas est, Patriotismo, quoad lingvam vernaculam, struem opponi fortem; cum dignitate Dicasterialitatis

pro modo excludatur, sicque vectis potens illam perficiendi fractus jaceat.

Evectio namque cujusvis lingvæ ad dignitatem Dicasterialitatis adeo potenter, ut multi opinantur, ei vere non patrocinatur. Ubi enim habemus exemplaria, quibus clauduntur ea, quæ Cicero in Senatu loquebatur? — Tenerentne gressum eundem cum orationibus, Epistolis, aliisque ejus lucubrationibus eruditissimis? Et didicitne Cicero hanc facundiam, hunc ornatum, hunc leporem, quem libri ejus manifestant, in Curia? vel vero in Cabineto suo privato inter sudores diurnos nocturnosque? Prima ejus Oratio pro Sexto Roscio Amerino, quam vix 27 annorum vir, proin nondum Magistratualis, dixit, easdem habet dotes orationis, quas et ultima, et alia scripta. Fuitne Klopstock jam defæcatus Officialis Dicasterialis, dum primum Messiæ sui adeo celebris edidit librum, seu, ut dici amat, cantum? Nil minus, tunc enim Juvenis nec unum tenuit officium publicum.

Hic Catastrum integrum virorum adferre valerem, ex quo semper conclusio sequeretur, lingvam in Curiis non perfici, sed corrumpi. *Negotia Curiæ et fori*, ait Fejes pag. 30. *per naturam suam plus deformant, quam perficiunt linguam. Quidquid culturæ est lingvis Europæis, non Curiis, non Foris, sed aliis literariis adminiculis in acceptis referendum est. Parlamenta, Fora, Curiæ, usum tantum faciunt illius lingvæ Culturæ, cui se Instituta lingvæ, et Academiæ impendunt, lingvæ stu-*

diis vacantes et puritati. Musæ enim non publicos, sed privatos adamarunt parietes. Quod tamen ex parte adversa evectio hæc eam multum fulciat in culturam adipiscendam, denegari non potest; cum illa tunc non tantum pro libris et usu communi, sed et pro usu quoque publico, adeoque cum duplo colatur zelo.

Unde elucescit, alia exquiri debere motiva, suisque Co-regnicolis exponi, ut jugum hocce svave et onus haud leve detrectare tandem cessent.

Uno loquuntur Eruditi ore, lingvæ culturam æquali cum nationis ipsius cultura progredi passu. Neque infundate. Ad culturam enim Tui requiritur, ut conceptus de Entibus, in nexu tecum existentibus, habeas claros et perspicuos *), cumque præcipuus conceptuum usus consistat in communicatione literaria, vel vulgari, hæcque signis nonnisi externis, quæ sunt termini seu vocabula, sit possibilis, patet, eodem labore adaptari debere ipsos terminos conceptibus, quo ipsi componuntur et purificantur conceptus. At cum non omnis nostrum habeat spiritum Philosophicum, quo conceptum ipsum a termino suo abstrahere, ambosque seorsive coordinare possit, verum plurimi ob defectum possibilitatis abstractionis ipsum terminum habeant pro Conceptu; ideo si terminum ipsi modificant, et adaptant, perficiunt per id ipsum etiam conceptum, necessario ergo

*) Conceptuum enim claritas et perspicuitas est fundamentum Judiciorum, et ratiociniorum.

conjuncta est perfectio terminorum apud potioritatem populi cum ipsa conceptuum cultura; atqui hæc necessaria est pro cultura tum Intellectus, tum voluntatis, ergo eodem urgetur pondere etiam necessitas culturæ terminorum, seu lingvæ.

Quid autem cultura nationis tuæ parum aut nihil tibi est cordi? —

Neque id hic loci obmovebis *„lingvam jam cultam percipiendam tantum esse, unde cultura sui prono fluet alveo.“* Equidem concesserim tibi hocce; at neque incommoda inde profluentia reticeri urgebis.

Primum incommodum est, quod lingvam illam jam cultam de novo discere coactus, plus et temporis et virium impendere debeas, quam si maternam tantum adaptare et perficere pergas. Facilius etenim, nec tam sumptuosum erit, ædificium tantum reparare aliquod, quam illud funditus novum excitare. Niteris forte et contra hoc exempla contrarium loquentia adducere. Vinces omnino, si assumis, quemvis singillative pro se perficere debere lingvam suam maternam. At quis loquitur hoc sensu? Dico ego, ut omnes se conjungant, et unitis viribus finem hunc realisare conentur.

Aliud incommodum, quod ex perceptione lingvæ alienæ habes, est: quod cum ipsa lingva (complexu terminorum, regularumque, eos coordinandi) proprietates ejus internas, uti: concinnitatem, leporem, subtilitatem, non adipiscaris; sed longiori tempore, pluribusque sudoribus hic, quam in addiscenda ipsa

lingva egens, quos characteres tamen in vernacula tua lingva jam velut a natura inditos habes.

In contrarium me neque id movebit, *quod tamen modo in nostra Patria velut necessarium evadat, lingvam discere Germanicam; illam proinde, qui addiscere alioquin debet, tantum ulterioribus colat conatibus, fiet, ut cultus prius evadat, quam in lingva sua vernacula, in qua nulla adhuc polituram Characteris ferentia exstant opera.* Ingrate cucule! an ideo te nutrivit hucadusque patria tua, ut a propriis vulnera accipiat, alioquin jam moribunda, filiis? An te non confundit priscæ ætatis ille Cimon, qui, cum patriam hostilibus peterent Lacedæmonii armis, immemor injuriarum per Ostracismum, unde post quinque annos consumatos in finem hunc revocatus erat, sibi illatarum tamen pro patria se vovit, — et eam salvavit? *Corn. Nep. de Cimone.* Quid tua tibi patria injuriarum intulit, ut non cesses illam stricto petere mucrone? Adama aliena bona, at ne sperne propria. Draco non tulit pro parricidio poenam; neque ego objectionem hanc ob eandem rationem ulterius anatomizare volo.

Tamen lingua Hungarica restat modo percipienda, adeoque cum illa, non item cum materna adest occupatio! Quis negat tibi perceptionem lingvæ Hungaricæ? Percipe etiam Lapponicam! nemo resistet tibi! sequiturne autem exinde, si Hungaricam percipis, negligendam esse culturam maternæ? Dignam reputare lingvam Hungaricam sudore aliquo, indignam autem maternam, nescio, quis filius patriæ valeret.

Redeo jam ad relictum illud assertum, quod cultura lingvæ et nationis intime cohæreant, magis roborandum.

Retrahe hanc in rem conspectum ad Græciam antiquam, ad Romanos, dirige oculos ad modernos Germanos, Anglos, Gallos, attrahe Russiam ad exemplum, quæ, quamdiu tepido animo, vel plane cum contemptu Dialectum suam conspexit, tamdiu etiam vix notabiles in cultura fecit progressus.

Dum in Gallia Nationalis fundata fuit Academia, elevata est statim lingva Gallorum ad magnum fastum; toti Galliæ ardebat fax lucentissima; ipsi illi vehementem lucrati sunt per eam influxum in universam Europam; Imperantes enim elevarunt illam, detrusa Latina, ad dignitatem lingvæ Diplomaticæ, dignitatem, quam hodiedum firma tenet manu. Eodem cum encomio ipsam etiam Angliam adducere valerem, respectu aliarum orbis partium.

De ipsa etiam Germania constat, quod et illa secundo quadrante sæculi 18-vi in cultura notabiles fecerit passus, tempore, quo etiam scriptores surrexere gregatim, qui lingvam ad illud, quod hucdum tenet, provexerunt culmen.

Attrahe Serbiam, si lubet, ad exemplum, cui modo primo ante decades annorum sol ex tenebris, quæ videbantur perpetuæ futuræ, surrexit, quæ, per tot sæcula sub jugo despotismi intolerabili gemens, totum pene spiritum pro dulcissima libertate, ejusque sequelis fulgentissimis, excusso etiam eo, pro perpetuo perdidisse videbatur, Serbiam, cui non tant

patulæ sunt ad omnigenam culturam viæ, quæ a potioritate ditionibus cingitur barbaris, turcicis; hæc Serbia excussit cum initio sæculi labentis somnum illum ferreum, cujus gemebunda madidis modo oculis, dum illas primo videt, deplorat sequelas; excussit somnum, et tam lætos intra adeo exile tempus fecit progressus in cultura Dialecti suæ, ut post tres alias sororias Dialectos, Bohemicam utpote, Polonicam et Russicam vix alicui cedat priorem locum. Hæc Serbia fovit jam sinu suo virum illum, cujus nomen ipsi Angli non detrectabant operibus suis alioquin eruditis præfigere; Fordyce Guilielmus et Liwie Joannes, noti Londini viri „*Dositheo Obradovich Serbiano, viro linguis variis erudito, sanctissimis moribus mortuo, Anglis, apud quos diversatus est, perquam dilecto, fragmenta hæcce (Chirurgica et Medica) amoris sincerissimi et amicitiæ pignus libentissime merito obtulerunt*“ verba sunt horum dudrum Anglorum. Hic est ille vir, qui lucentissimam Serbiæ prætulit facem, cui se longo alii, jam multum etiam apud exteros celebrati Eruditi associant agmine, vir, qui ab ipsis Germanis *) *Anacharsis Serbiæ* compellatur.

Bohemiæ, cujus laudes ad aures tuas etiam pertigisse haud dubito, Bohemiæ huic, quæ eruditas societates, scripta Periodica, opera fere omnia scientifica, tercentas annuas elucubrationes in Dialecto sua multum culta nume-

*) Wiener allgemeine Literatur-Zeitung.

rare valet, huic Bohemiæ laudes ego tribuere indignus sum; neque Polonium neque Russiam, quas tibi sparsim toties in laude nominavi, quidquam laudum mearum accipere concedo. Et tamen sunt omnes hæ et plures aliæ, quarum nomina hicce inserere intermisi, ditiones, sorores Tuæ, sunt ejusdem stemmatis rami, omnes nos descendimus ex vetustissima quapiam Gente, cujus gesta et facta, cujus vita actuosa velis æternarum tenebrarum præclusa manent oculis nostris. Omnes hæ applicant conatus laudabiles, etiam eundem sibi juste procurandi influxum in longe lateque patentem Europam per literaturam suam, quem multitudine sua, ad septuaginta milliones capitum ascendente, hucadusque potenter exseruit; omnes operantur, consumunt vires et opes, ad excitandum colossale illud ædificium, quod conspectu totius Europæ erit brevi longe dignissimum; unica tria hæc Regna delent memoriam descensionis suæ abinde, rumpunt vinculum illud Fraternitatis, quod ipsa suis texuit natura manibus, jacent, incuria futurorum, muta ergo omnes provocationes Fratrum suorum, indifferentia erga coronam illam, quam proxime alii sibi vindicabunt; jacent dico, in illo lecto, quem sibi ante sæcula atavi straverunt. Licet jam victoria ad illos inclinet, licet maxima sublata jam sint obstacula, viaque illis generalis alienis parata sit manibus; licet omnes tibi fraterna porrigere polliceantur auxilia, licet plurima tibi sint præsto; vis tamen etiam a modo exclusa esse foedere hoc

nobili, exclusa honore illo late patente, quem sibi illi proxime metent, exclusa nationalitate præeligis esse; adminus hoc concludere valeo ex pigro illo, quem hucadusque bajulasti, torpore. An non te feriunt verba a viro quodam celebri prolata „*Noch immer haben einige Stämme keine angemessene Sprachbücher über ihre Mundart, mehrere keine Geschichte ihrer Literatur*, (ja selbst keine Civilgeschichte) *und noch immer ist das Studium der Muttersprache von den meisten* (bei uns allen) *höheren* (auch von niedern) *Lehranstalten gänzlich ausgeschlossen.*" — Item in eodem libro „*Der Massstab zur Beurtheilung der geistigen Bildungsstufe einzelner Stämme ist die Übersicht ihrer Literatur.*" Ubi autem habes tu Literaturam tuam?

Adhuc uno loco „*Dalmatien, Croatien, Slavonien, und die von Serben-Wenden bewohnten Lausitzen blieben in der neuern, und neuesten Periode so ziemlich arm an Geistes-Produkten, die Slovaken in Ungarn hingegen genossen stets im vollen Masse die Früchte des Sprachenbaues.*" Ergo in medio fluctuum efficiunt illi plus, quam nos in quiete?

Respice, attende, quo vivas sæculo, inter quas gentes, sub quo terræ Principe; exhorresces, si modicam adhuc Nationalitatis in corde tuo foves scintillam, si modicum sangvinis illarum per venas tuas currit nationum Slavicarum, quæ tempore illo, quo reliqua squalebat Europa, assiduæ, industriosæ, in omne bonum sollicitæ, laudem sibi a sæculis futuris

pendendam, pararunt, quæ facem omnibus suo ævo præferebant gentibus; ut testatur ipse Cæsar in suo bello Gallico III. 8. „*Civitatis Venetæ* *) *est longe amplissima auctoritas omnis oræ maritimæ regionum illarum, quod et naves habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam navigare consveverunt*“ (Cæsar Britanniam hic memorat, cum ulterius oculi ejus non penetraverint) „*et scientia, atque usu nauticarum rerum cœteros antecèdunt, et in magno impetu maris atque aperto, paucis portubus interjectis, quos tenent ipsi, omnes fere, qui eodem mari uti consveverunt, habent vectigales.* **)

---

*) Distingvendi a modernis Venetis maris Adriatici partim ideo, quod illi Caesaris Veneti sint iidem ac Venedi, Vendi i. e. Slavi, item et ideo, quod Venetae maris Adriatici post eversionem Aquilejae, per Atilam factae, proinde saeculo 5-to suam fundaverint Civitatem hucdum existentem.

**) Praetereo longum sermonem J. G. Herder in suis *Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit* lib. 16. sub titulo „*Slavische Völker*“ et cito modica ejus verba „*In Teutschland trieben sie* (Slaven) *den Bergbau, verstanden das Schmelzen, und Giessen der Metalle. Sie waren mildthätig, bis zur Verschwendung gastfrey, Liebhaber der ländlichen Freyheit. — — Unglücklich ist das Volk dadurch worden, dass seine Lage unter den Erdvölkern es seinen Rücken allen Anfällen östlichen Tartaren frei liess.*“

Surowiecki, Consiliarius in Ministerio Studiorum et Religionis in Polonia, et Commem-

Plura, quæ te ad colendam patriam lingvam permoverent, ex me noli audire; audi tamen illum, quem totus audire non dedignatur orbis. Krug dicit in sua Logica „*Je vollständiger, und genauer man eine Sprache kennt, desto eher versteht man Andere, die uns vermittelst derselben ihre Gedanken mittheilen*,

---

brum Societatis Varshoviensis, post consumptos multos in otio historico-literario annos, inter caetera resultata historica etiam sequentia adnectit: „*Neben den friedlichen Beschäftigungen mit dem Landbaue zeigten die Slovenen eine besondere Neigung zum Handel; Gast, Kaufmann, Fremdling galten bei ihnen als heilige Personen; den ganzen Zeitraum allgemeiner Finsternisse, und Barbarei hindurch versorgten sie den Norden Europa's mit den Natur- und Kunsterzeugnissen Griechenlands, Asiens, u. s. w. daher entstanden bei ihnen seit undenklichen Zeiten Städte in Menge, und blühten durch Menschenzahl, Reichthum, und Kunstfleiss mächtig empor. Die vorzüglichsten Städte und Flecken in Polen, Pommern, und Russland, Böhmen u. s. w. waren lange vor Einführung des Christenthums bei den Slovenen vorhanden. In der ersten Hälfte des 7-ten Jahrhunderts standen in dieser Hinsicht einige Stämme bereits in solchem Ansehen, dass die Griechen*" (qui secus in sua cultura sibimet ipsis complacentes, alios, quiqui illis in hoc inferiores erant, torvo oculo conspectos, Barbaros, crudos, incultos compellabant) „*dieselben unter die cultivirten Völker, und unter solche zählten, die mannigfaltige Kenntnisse besassen.*" — — At ne videar immodicus, laudes nationis hujus e calamo meo porro fluere veto.

und desto verständlicher theilt man sich selbst mit. Da nun die Muttersprache zur gegenseitigen Gedankenmittheilung am meisten gebraucht wird, so wird diese vor allen andern zu cultiviren seyn; ob sie gleich gewöhnlich am meisten vernachlässigt wird, weil jeder schon gleichsam von Natur eine hinlängliche Kenntniss derselben zu haben meint.“

Item alibi loquitur ille, „*dass sich in ihr* (der Sprache) *die Regeln des Denkens gleichsam abspiegeln.*“ Quo clariores proin et magis perspicuas leges cogitandi tibi proprias reddere cupis, eo perfectius ipsam lingvam scire debes; quid autem in vernacula lingva nequaquam vis cogitare? hoc tibi ipsi credere nequirem; ergo debes lingvam maternam perfecte scire; quia vero ipsa perfectionem hanc non habet, debes ad id conferre, ut perficiatur; nisi forte viro huic Germano directe ad faciem mendacium super dicto suo dicere velles! Idem vir loquitur adhuc: „*Ein gründliches Sprachstudium gewöhnt überhaupt den Geist, nicht an der Schale hangen zu bleiben; sondern tiefer zum Kern einzudringen.*“ Jam vero ut spiritus tuus ad medullam ipsam rei penetret, te impedire velle, nequeo supponere. Quare eligis ergo ad id lingvam exoticam, quam si non e fundamento, certe in proprietatibus ejus essentialibus prævie discere debes? Non est ne tibi facilius crustam tantum maternæ lingvæ dejicere, illamque tunc ad tui solatium et honorem, nepotum vero centuplam utilitatem, perfectam habere?

Superfluum non duco hicce etiam quædam de dignitate et aptitudine lingvæ Slavicæ in genere attingere. Dignitas ei contribuitur maxima in eo, quod sit soror illius lingvæ, quae maximum leporem, subtilitatem, perfectionem et ubertatem inter alias lingvas consecuta est, Græcæ. Ni virium exilitatem tam mearum quam et plurium Lectorum in defectu cognitionis hujus lingvæ sitam experirer, demonstrare hoc facile esset ex authoribus Græcis et Slavicis. Quæ tamen eruere obvia potui, habe: δυο, dva, τρια, tri, τεσσαρα, chetiri, πεντε, pet, ἑπτα, septem, sedem, ὀκτώ, osem, δέκα, deset, χιλιοι, hiljado, δῶμα, dom, αμφω, ambo, oba (dva), ὕδωρ, ατος, voda, γυναι seu γυνη, xena, νυξ, nox, noch, γερας, starost, δενδρον, dervo, δεξια, desna, δρόσος, ros, rosa, (Thau), ἔτος, εος, leto, ζελος, xelja, Θηρ, zver, καρδια, cor, serdce, κολλα. kelj, μητήρ, mater, mati, ονομα, ime, ουας, uho, πτερόν, perut, σεμα, snamenje, σιτος, xitek, χειμα, zima, γλυκυς, sladki, αλλα, ali, et plurima alia. Profundius si hic intrare cupis, accipe ad manus opusculum, cui titulus: *Homerus Slavicis Dialectis cognata lingva scripsit. Ex ipsius Homeri carmine ostendit Prof. D. Dankovsky Iliados Lib. I.* 101 — 150 *Slavice, et Græce idem sonans et significans.* Vindobonæ 1829.

Neque cum Germanica moderna et Romana illi denegari potest sororia conjunctio: Schaffarik loquitur in suo *Abkunft der Slaven*: „*Das ganze Wesen, der Stoff, und der Bau*

der slavischen Sprache ist doch zunächst griechisch-lateinisch-deutsch. Sie befindet sich in Bezug auf diese in jener Verwandtschaft der Sprachen, welche dann entsteht, wenn ursprünglich verwandte Sprachen, nachdem sie sich im Ablaufe der Zeit, unter dem Einflusse verschiedener innern und äussern Bildungselemente, selbstständig entwickelt und festgestaltet haben, später vermittelst des Handels, Krieges, und andern Verkehrs, Wörter an einander absetzen, deren ausländisches Gepräge nunmehr kennbar ist. Alle diese (aufgezählten vier) *Sprachen haben zahlreiche, gemeinschaftliche Wörter, die in ihren reinen Wurzeln einer jeden derselben unbestreitbares Eigenthum sind, und bei denen die Frage nach der Priorität des Besitzes widersinnig wäre z. B. nos, die Nase, nasus, barba, Bart, brada, und andere.* (Oculus, oko, Auge, pod, Boden, pavimentum, vino, Wein, vinum etc. etc.) *Sie haben aber auch zugleich Wörter, die doch offenbar erst bei schon erfolgter grammatischer Trennung, und vorgeschrittener selbstständiger Gestaltung, durch Nachbarschaft und Verkehr der Völker aus der einen in die andere übergingen; man vergleiche, um nur einiges aufzuführen, Wörter wie z. B.* καλυβη, *koliba,* ῥαγαξιον, *rogoz,* πετρα *und peshtera,* καραβος *und korab, cerasus,* κερασος, *und chereshnja, chreshnja, caballus,* καβαλλης, *kobyla, lupa, lupanar und ljuba, scrinium und skrina, populus, topol, Pappel, cannabis und konopa, vesper und vecher, vidua and vdova,*

viverra und veverka, pastor und pastyr, castellum und kostel, slowak. kashtjel, acetum, ocet, Pflug und plug, Gast und gost, Esel und osel, gospod, δεσποτης, Dolmetsch und tolmacs, Weile und hvila, Schöps und skopec, Elen, Elan, Elendthier und jelen, olen, Schwefel und xupel; und man wird selbst beim anscheinenden Zweifel über die Priorität des Besitzes, worüber die Etymologie zu entscheiden hat, nach genauer Untersuchung unzweideutige Merkmale ihrer späteren Einbürgerung hier oder dort entdecken."

Scripsit in eandem rem quoque D. F. A. Rauch in suo „*Identität der Hindu, Perser, Pelasger, Germanen und Slaven, dargethan aus Sprache*— — Erste Abth. Marburg 1829.

Ipse mutuus inter lingvas has, quoad formas grammaticas influxus, est notabiliter conspicuus, ut ostendit severa indagatio Domini T. Græf in sua *commentatione*, *qua lingva Latina, et Græca cum Slavica Dialecto in re grammatica comparantur.* Petropoli 1827. 8.

Hucusque de dignitate ejus. Super aptitudine autem ejus (sub qua subtilitas, copia, puritas, et symphonia (Wohlklang) intelligitur) ex libris Slavorum ipsorum adducere multas laudes nolo; multi enim Patriotismum hic latere forte arguerunt; etsi sat inconsequenter, ac si Slawus de lingva sua nullam dicere vellet veritatem. De Domino Schlötzer, cujus fama per orbem vagatur totum, lego apud D. Xivkovich in suo Telemacho Serbico (1814. 8. Viennæ) hæc: „*Schlötzer Njemac, koi je znao*

Rossiski, i Slavenski, mislio je, da bi prevod Omera (versio Homeri) *na Slavenski jezik od sviu pervenstvo oteo.*" — Fortunam non habui, opinionem hanc Schlötzeri in scriptis ejus, quæ omnia perlegere haud potui, inveniendi, secus illam Domino Lectori ex ipso ejus opere ad verbum citassem. Probabiliter continentur verba hæc in ejus Nestore. Dicit porro D. Schaffarik in sua Literatura Slavorum „*Die Slavische Sprache hat unverkennbar viele gute Eigenschaften, die unter den Ausländern vorzüglich von Schlötzer* (ergo dantur et alii plures hoc cognoscentes) *gewürdigt worden sind. Ich zähle hieher ihre artikellose Declination, und pronomlose Conjugation, ihre reinen festen Vocalendungen, ihre durchgängig bestimmten homologischen Töne der Wörter, unabhängige Quantitirung der Sylben, woraus ihre Singbarkeit in der Oper, und Anwendbarkeit auf altklassische Versmasse von selbst erfolgen; ferner ihren grossen Wortreichthum,* (ex unica radice deducere potuit Academia Russica circa 2000 voces) *die Menge und Mannigfaltigkeit der Einzelnlaute und ihrer Verbindungen, zuletzt ihre Syntax.*

Viso jam eo, in quali Dialectus nostra Slavica sit cum aliis tribus connexione, item, quem culturæ gradum omnes hæ tres (Græca, Romana et Germanica) jam tenuerint, modoque teneant: qua mente, qua facie coram tota Europa nos Slavi quartam hanc germanam sororem in abstruso, in tenebris latitare possemus permittere? Sorores ejus tenent thronum

eruditionis et perfectionis in Europa, et nostra unica posset in Sclavismo illo porro adhuc detineri, ut ne digna quidem esset sororibus suis vicem sordidæ ancillæ præbere, ut ne digna esset quidem aut facem eis præferre, aut calcei ligamenta solvere?

Ex eo tamen ne deduxeris, chare Co-Regnicola! me tibi per verba hæc etiam onus hoc, emendandi sortem sororis hujus, imponere velle. Non, hoc nec ego postulo, nec alii Slavi, licet fratres, prætendunt; hoc enim onus, te tyronem, nimium premeret, ne dicere cogar, suffocaret; in plena satisfacies tu mensura votis fratrum tuorum, si tuam tantum dialectum fœcibus, quas per sæcula inde ex barbarie hucadusque fideliter servavit, copiosis mundaveris. Per id feres auxilia ad metam illam Slavorum omnium, sine quibus in obscuritate impedimenta alioquin multa experiri, sicque soli etiam tuum sibi imponere debent jugum. Ubi enim succedit compositio totius, si partes aliquæ vel desunt, vel adminus adaptatae non sunt? Qua facie tolerare potes, ut commoditati tuæ succurrant, illudque indefesso agant labore, quod tibi secus adjudicatum est? Quid dicent sæcula ventura, quid nepotes tui ad tepiditatem hanc, ad somnum illum feralem, quem nulla amplius dormit natio? Obstupescent super hoc. Expergiscere ergo Patria, non dormi amplius somnum illum immaturum, qui tibi ex omnibus Europæ oris cruentas infert cicatrices, adhuc magis cruentas autem tibi ipsi nepotes tui ferient! Audi

verba Patriotæ Obradovich suæ Patriæ ex oris alienis acclamantis:

Vostani Serbio!
Davno si zaspala,
U mraku lexala,
Sada se probudi,
I Serblje vozbudi.

In carmine, quod Venetiis 1804. primam conspexit lucem. Audi illa, et pone illa quasi ex ore boni Patriotæ ad te clamantis fluere.

Toties audivi debacchari multos, *hanc Dialectum esse nimis neglectam et indignam, quam ut adhuc labores hic vel alioqui pessumdentur; quis leget libros ea compositos, cum tot et tanti in cultissimis Dialectis inveniantur legendi?* Quid respondebo ad id? nil, quam quod objectio hæc directe rejici et transmitti debeat. Post talem tractatum, quem præmisi hucadusque, in hacce re adhuc talia obmovere, sapit aut me mance et imperfecte hæc proposuisse, aut impotentiam oppugnantis tractatum hunc intelligendi. Super primo rogo eum per amorem in Patriam, si quem in eo supponere queo, defectum hunc scripto coram publico emendare. Contumeliæ autem et irrisiones non ferent desideratum fructum; *denn sind sie witzig und fein,* (loquitur Krug in sua Philosophia Fundamentali) *so lacht man wohl darüber, aber der Bespöttelte kann ruhig selbst mitlachen; denn er darf der gewissen Zuversicht seyn, dass dieser Spott der Wahrheit keinen Abbruch thun werde. Sind sie aber plump und fade, so kann nur den Spötter Be-*

lachung, oder vielmehr Verachtung treffen; und die Wahrheit leidet so wenig dabei, als die Persönlichkeit des Verfassers."

Super altero dabit sibi solus talis debacchator consilium (tacendi).

Cum ea spe, quod Dissertatio mea apud multos suum non erraverit votum, transeo ad media exponenda, quibus Dialectus nostra ad eum, quem alii Slavi desiderant, et circumstantiæ diversæ admittunt, pertingere posset perfectionis gradum.

Magnam certe proponam ego hostiam, quam vix multi Patriotæ mihi, iique tantum, qui maturiori volvunt ingenio præsentem statum lingvæ Slavicæ, necessitates diversas dialecti nostræ, aliasque circumstantias Literaturæ Slavicæ, concedent. Propono ego conjunctionem trium horum Regnorum; Croatiæ, Dalmatiæ et Slavoniæ, quoad Subdialectos suas. Quantum fulmen cadit ex ore meo pro multis! quot exhorrescent ex his paucis vocibus! at respondeo ego ad id cum I. I. Rousseau.*) *Der Buchstab tödtet, aber der Geist macht lebendig; beherrschet die Meinung, damit ihr herrschen könnet durch die Meinung.* — Exponam, quamvis etiam perbene norim, haud multos mihi propterea faciem ostensuros amicam. At solatio sunt mihi verba illa, quæ legi in Wandsbecker-Bothen „*Wenn du den Trieb zur Wahrheit im Menschen nicht ehren willst, was hat er denn noch, das du ehren mögest?*

---

*) In versione Heusinger'iana de Educatione.

Per conjunctionem hanc intelligo ego unionem trium Dialectorum, quas loquuntur tria hæc Regna, in unam lingvam, non popularem, sed eruditam, literariam, qua scientiæ et artes, scripta periodica, et rhapsodica ab eruditis legerentur et scriberentur. Ut autem conjunctio hæc non in mente mea resideat, sed etiam realiter in effectum deducatur, evincere debeo ejus possibilitatem, utilitates, et necessitatem, per partes.

Aggredior possibilitatem evincendam sequentibus:

Regni moderni Dalmatiæ, quod in quatuor Districtibus, Ragusano nempe, Jadrensi, Cattarensi, et Spalatensi circa 400,000 incolarum numerat, Dialectus, nisi scissiones tres, nempe in Ragusanam, (quæ dicit: piso sam, reko sam, isho sam) Dalmaticam propriam, (quæ dicit: pisal sam, rekal sam, ishal sam) et Narentanam (pisa sam, isha sam, reka sam) alioquin valde exilem producentes discrepantiam, consideraveris, est per omnes regni partes eadem, estque Serbicæ Dialecto ex potissima parte conveniens „*Die Sprache der Dalmatiner*, loquitur D. Schaffarik in Literatura Dalmatiæ, *ist mit einigen geringen Abweichungen die Serbische Mundart. Diese Abweichungen betreffen vorzüglich die Aussprache des Vocals* i, *statt je*, *und* e, *lipo statt ljepo von lepo*, *divojka statt djevojka von devojka*, *und einige von den nächsten Nachbarn* (Venetianern) *entlehnte fremde Wörter*.“ Hæc eadem Dialectus Dalmatica convenit eodem mo-

do ipsi Dialecto Slavonicæ et Croaticæ in Confinio militari. „*Wirft man einen Blick auf die Länder*, loquitur idem vir prælaudatus, *die von den Dalmatinern, Croaten und Slavoniern bewohnt werden, und hält sich bloss an ihre Namen, so sollte man glauben, dass man hier mit drei verschiedenen Stämmen, den Dalmatinern, Croaten und Slavoniern, und eben so vielen Slavischen Mundarten zu thun habe; allein die Geschichte und Erfahrung der Sprache läugnen diese getrennte Existenz der drei Stämme, und Mundarten. Das Slavonische in dem Königreich Slavonien ist keine besondere Slavische Mundart, sondern nur eine Nuance der Serbisch-Dalmatischen.*" Item alibi „*Zuvörderst sind die Dalmatiner und heutigen Slavonier, so wie die Rugusaner, und Bosnier nach aller Geschichte und Erfahrung Slawen Serbischen Stammes.*" Ergo sunt sibi hæ Subdialecti similes, cum sint tertiæ, utpote Serbicæ similes.

Subdialecti proinde hæ duæ (Dialecti enim non sunt) absque magna conjungi possunt immolatione partium dissonarum, ipsis adhærentium. Discrimen, quod intercedit, maximum invenio in eo, quod Slavonica aliquas habeat turcicas, Dalmatica autem Italicas voces; abjectis proin his (quis autem non abjecerit id, quod suum non est, ne hoc suum illo inficiatur) flexiones nominum et verborum brevi congruent.

In regno Croatiæ conjungendo jam plures difficultates experiundæ sunt. Croatia dividitur

in civilem et militarem, prior et quoad extensionem territorialem, et quoad numerum incolarum minor est posteriore; in militari parte Dialectus, proprie Subdialectus, est Slavonicæ et Dalmaticæ simillima „*Die Bewohner des wahren* (alten)*Croatiens in Süden der Kulpa, die Kroaten, sollten für einen besondern Stamm gehalten werden, während nach mehrerer Erfahrung die Sprache in diesen Gegenden weder in Grammatik noch in Lexicon sich bedeutend genug von der Serbischen der Dalmatiner* (folglich auch der Slavonier) *unterscheidet.* Schaffarik. Conjunctio proin etiam hujus Districtus in re literaria est facillima; at quid Croatia Provincialis, quæ tribus tantum tribuit sedem Comitatibus, cujus populus summum ad semiquartam centuriam millium ascendit; cujus Dialectus variat a reliquis præmissis, et propius accedit ad Dialectum Vendicam, seu Carniolicam „*Der Provincial-Croate aber gehört der Sprache nach zu den Windischen Slowenzen; dem zufolge, ist die Sprache der heutigen Croaten, die im Militär-Croatien mit der Serbisch-Dalmatinischen, in Provincial-Croatien aber mit der Slowenisch-Windischen Mundart zusammen fällt, allenfalls nur eine schwache Nuance dieser beiden, keineswegs aber ein für sich bestehendes Dialect.*“ Si ergo Croatia suam Nuance excolere vult, debet se cum utraque parte conjungere, militaris nempe cum Slavonitis et Dalmatis, civilis autem cum Vendis (conjungere autem hic non intelligo, quasi utraque Croatiæ pars suam

Subdialectum deponere, et alterutram harum assummere deberet).

Ipsa ergo Croatia scinditur bifariam. Quis hoc concedet? Nemo Croatarum, Quale ergo restat consilium? Non aliud, quam cum alterutra sese conjungere. At quacum? Hic est lapis, pro quo removendo multa ingenia requiruntur. Nonnisi commoda plura et minor divaricatio ab alterutra Dialectorum harum poterunt hicce prudenter determinare. Expendendo commoda, conjungere nos debemus cum Slavonitis et Dalmatis; etenim, jam sumus quasi una Civitas pro se, (quod cum Carniolia et Styria commune non habemus) jam inde a temporibus Crescimiri Petri, Regis Croatiæ et Dalmatiæ, tenet nos vinculum arctissimum (ut supra ostensum), jam fraternus ergo et mysticus aliquis nos tenet vinctus amor, qui singulorum in singulos pandit corda. Quoad divaricationem autem Subdialecti nostræ cum Vendica et Slavonico-Dalmatica difficilius mihi est judicium ferre; Philologi enim, ut præmisi, loquuntur, hanc nostram propiorem esse Vendicæ Dialecto, me autem multo majus trahit Interesse, licet heterogeneum, contrarium statuendi.

Quod discrimen essentiale inter Subdialectum Civili-Croaticam et inter Slavonico-Dalmaticam intercedat, resciri posset nonnisi tunc, si utraque Dialectus hæc ad leges Grammaticæ exacta esset; quia autem hoc in omnibus his Regnis desideratur, lingva vero vulgaris, prouti illam loquuntur (in oppositione cum lingva li-

teraria) pro diversitate ipsarum minutiorum plagarum ipsa variat; ideo patet etiam mea ex hinc imbecillitas, in essentialibus discriminis Characteribus adducendis. In tantum tamen certe non discrepant, ut componi non possint hæ Subdialecti, prout singulus legens librum Dialecti alterius cognoscere poterit.

Si ex tali Germanica antiqua, in qua Joan. München carmen super Historia Imperatorum et Pontificum sæculo XIII., et cujus partem hic subjicio, composuit:

Herr Got nu pis meiner Sinn leer
Daz ich Heinrich von Payrland
Der sich nicht anders hat genant
Wan von Münichen auz der Stat
Der ditz puch getichtt hat
In Dœwsch do er hub an
Mit chranken sinnen sunder wan.

Si ex tali, dico, antiqua lingva hodierna adeo erudita componi poterat, quis est, qui possibilitatem in hoc puncto nostris denegare posset Dialectis, quæ in tantum ab invicem certe non dissident? Quod discrimen autem essentiale inter Croaticam civilem et Sloveno-Vendicam intercedat, ob easdem non liquet perspicere rationes. Ex obvia interim contemplatione utriusque hujus Dialecti vulgaris (non literariæ) dicere licebit, non pauciora et hic subversari impedimenta; cum Croata civilis Carniolum non tam facile intelligere queat ob inflexionem, et accentuationem vocum miram. Conjunctionem proin ex puncto ipsarum Dialectorum considerando, nihilo faciliorem esse,

quam cum dialecto Dalmatico-Slavonica ex dictis videre est. Ex puncto autem relationum politicarum cum hac Sloveno-Vendica multo difficiliorem esse, patet. Manet ergo conjunctio horum trium Regnorum facienda.

Utilitas, quæ ex conjunctione Regnorum horum in Subdialectis suis fluxura est, multiplex certe est.

1.) Principium illud Schlötzerianum „*Vires unitæ agunt*" etiam hic, sicut et ubique, potentissimum aget vectem in omnibus gravaminibus et obstaculis; collationes enim privatæ benignæ in communes literarias indigentias, sine quibus nihil effici posse tot et tantorum docent exempla populorum, ut ipsi adeo Principes largas in hisce porrigere necessitarentur manus, facilius ferri, copiosioresque conflari poterunt.

2.) Qui scribendis se accingerent operibus tam voluminosis, quam et minoribus, imo et diurnis, tanta producet certo certius copia; utpote milliones hominum; hacque directum opus via ob æmulationem, necessario consecuturam, spem Patriotarum, exspectationem vero aliorum Slavorum fallere nequibit.

3.) Ipsa distractio copiosiorum etiam operum facilior, distributioque sumptuum impensorum inter emptores frequentiores faciet et scribentibus typum faventiorem, et legentibus commodiorem co-emptionem. Copia enim sublevat debilem.

4.) Hos inter musa nostra locata limites frequentius coli, lætius exultare, omnia vivi-

dius florere incipient. Imo aliunde etiam adducet nobis fervidos discipulos, adducet Serbianos in Hungaria distractim habitantes; imo nec ipsa Serbia turcica arcebitur cum tempore literarium nobiscum servare commercium; ejus enim dialectus, ut supra dictum, haud discrepabit attunc a communi trium horum Regnorum lingva literaria in tantum, ut libri illorum a nobis commodissime intelligi haud valerent.

Ipsam adeo necessitatem adesse conjunctionis Regnorum horum, paucis et forte validis proponam argumentis.

Necessarium his temporibus evasisse, lingvam excolere suam, partim ex consideratione status literarii Europæ, partim ex præcedentibus, huc retrahendis, perspicere est.

Quanta damna et tristia consectaria Isolatio et scissio in partes ferat, facile est perspicere. Partes omnes in hisce tribus regnis, si se porro quoque isolaverint, quid producere poterunt? id quod vires producunt debiles; id est, aut parum aut nihil. —

Scio equidem perbene, multos, imo plurimos fore lectores, qui mihi in conjunctionem, præsertim autem Croatiæ civilis assentiri tergiversabuntur. Talibus si velum, post quod futura jacent tempora, removere possem, mox conquiescerent; quid tamen post velum hoc sit, quod ex conjunctione sequi debet, dixi cum probabilitate jam snperius.

Slavonia, Dalmatia et Croatia militaris libenter offerent, scio, hostiam hanc alioquin

nimium exiguam ad aram Patriæ; sed neque Croatia civilis sua quoque offerenda offerre detrectabit!

Discrimen maximum, quod invenio inter Dialectos has obvium, consistit in finali *l* loco *o*, *vidil*, *vidio*, *e* loco *a*, *miszel*, *miszao*, intercalatione literæ *j* in *leto*, *ljeto*, item in finali *i* in verbis, v. g. *pisati*, *hoditi*, *pisat*, *hodit*.

Quid autem tantum repositum est in his minutiis, ut in gratiam duarum, triumve literarum omnibus renunciare præeligatur utilitatibus futuris? Slowaci in Hungaria, qui propriam habent Dialectum (non autem Subdialectum, sicut nos omnes) jam a sæculis arctiorem in dies contrahunt nexum cum Bohemis, ob rationes easdem, ob quas et nos deberemus; et jam modo experiuntur dulces fructus conjunctionis hujus. Quam dispares fuerant dialecti variæ in Germania! „*In seinen* (Deutschlands) *obern Theilen, die an der Donau liegen, spricht man anders, als am Rheine herunter. An der Weser ist aber eine andere Verbindung der Wörter im Schwunge, als an der Elbe und Oder. Ja an dem obern Theile dieser beiden Flüsse redet man schon anders, als nahe am Ausflusse derselben. Selbst der Main und der Rhein haben verschiedene Mundarten an ihren Vfern, die entweder mehr oder weniger von der alten Sprache beibehalten haben.*“ Joh. Christoph Godsched's deutsche Sprachkunst Leipzig 1762. 8-vo pag. 401.

Quam cruda item, et barbara fuerit lingva hæc, videre est ex antiquissimis documentis privatis, ea expeditis; in exemplo ex carmine Ottfriedii Monachi ad tempora filiorum Caroli M. spectantis, apud Schitt. Thes. Germ. Tom. I. pag. 22. 23.

*Sie *) sint so same chuani*
Selb so thie Romani
Nie tharf man thaz ouch redinon
Thaz Kriachi ni es wideron
Se samalichi nizzi
Si eigun in zi nuzzi
In Felde jo in Walde
So sint sie same balde etc.

i. e.

Sie sind eben so kühn,
Als selbst die Römer;
Nie darf man das auch reden,
Dass sie den Griechen weichen,
Sie eignen ihnen zu Nutzen,
Sich eben solchen Witz

etc. etc.

Vel ex præfatione Joannis Hartlieb ad Historiam Alexandri M. in Germanicum versam, qui tempore Alberti Ducis Bavariæ, proin sub dimidio sæculi 15. vixit:

„So hat der hochgeporn und durchleichtig
„Furst Herzog Albrecht, Herzog in Bairn,
„Phalzgraue pei rein und graue zw' Voburg,
„auch sein Durchleichtigs gemahl Fraw, Fraw
„Anna geborn von prawnsweig nicht vnpillig,
„an mich meister Johannsen Hartlieb, Doctor
„der ertzenei vnd naturliche Kunstes, Irn
„Vndertan pegert, das Puch des grossen A-
„lexander zu deitsche machen etc.

*) Germani, quos hic cum Romanis comparat.

Quot et quanta igitur multo duriora et momentosiora cedenda habuit, et cessit Germania superior inferiori, et vice versa; quanta hic sufferri, adferri et limari debebant, donec tandem ex utraque Dialectō (ni fuerint etiam Subdialecti) ornatissima compacta est moderna lingva literaria. Quantas succussiones ferre debuit Anglia, donec ex Dialectis, Romana, antiqua Britannica, Caledonica et Saxonica, imo etiam ex Slavica, ut docet D. Schaffarik *), moderna surrexit lingva? qua non perfectior altera in Europa; ex quali chaos prodivit nitidissimus effectus! Unde surrexit Italica illa lingva, qua scripserunt Petrarcha, Metastasio et alii immortalia opera? Unde composita est lingva Ciceronis, Virgilii? Ex hac „*Neominem into urbed sepelitod.*“ (neminem

*) In suo Abkunft der Slawen pag. 59. „*Die Namen mehrerer Flüsse und Hafen in Britannien, welche wir bei den Alten lesen, haben ein unzweideutiges Slovenisches Gepräge. Den uralten Serbischen Ansiedlungen verdankt die heutige Englische Sprache diejenigen Wörter, die, in nicht geringer Zahl vorhanden, bis jetzt aus keiner der vier Muttersprachen des Englischen bequem abgeleitet werden konnten. Z. B. to beat, schlagen, bitti; to dap, versenken, topiti; meat Fleisch, meso; merk, mirk, murk, dunkel, merk;* (croatice mrachno vel mrak) *much, viel, mnogo; mud, mudj, Schlamm* (croat. mulj) *trüb, nut, muten; to screak, schottisch: skraik, schreien; to stoop, sich niederlassen, stupiti, sty,* (lies staj) *Stall, stala. To tew, tuchi, to yead, gehen, iti, böhmisch jiti, und andere.*

intra urbem sepelito). Singula vox debuit, si non duppliciter, certe simpliciter reduci. Hi immolarunt tot et tanta, et nos non immolaremus minutias, quæ adhuc intercedunt, in gratiam tantorum commodorum? Vere nimium partialis, unilateralis, et temerariæ esset in vires per Isolationem certe exiguas futuras, fiduciæ, qui in posterum quoque dura persisteret cervice in semita avorum suorum, qui confusionem harum trium Subdialectorum irritam habere vellet; qui proin etiam conatibus quorumdam (et si sint juvenes, *neque enim in illis, quasi lassa et effœta natura nihil laudabile parit!* Plinius L. VI. Epist. XXXI.) resistere, eosque plane cavillari non erubesceret; placeat sibi talis super eo relegere effatum Krugianum, quod superius pag. 37. præmisi; stat, si fractus illabatur orbis.

Immolantur in prælio integræ centuriæ etiam fortissimorum militum in spem, dico in spem tantum, victoriæ adhuc dubiæ, et nos non offerremus illa mutuo, quæ nos discordant. An hæc plus valent, quam triumphus gloriæ et honoris, quem nobis tota Europa lubenti animo et cum certitudine, gratiæ autem, quas cæteri Slavici confratres rependent. *Immolanda pauciora, ut salventur plura.*

At quid si mihi quis reposuerit „*non adest necessitas.*“ Ergo maneas in illo tuo squalore, quem tibi sæculum 13. et 14. præpararunt, et subsequa non emendarunt, hære, dico in tenebris, dum tota Europa jam celeriori,

jam tardiori, ut circumstantiæ admittunt, progreditur passu.

Ast quis leget libros nostros antiquos, si et literæ aliquæ immutantur, et Dialectus modificetur? ingratitudo summa in Majores nostros!

At hercule! magna per id patieris et irrecompensabilia damna! in gratiam horum paucorum immolabis plura? et postulantne illi iidem a te et omnibus subsequis hanc gratitudinem? O Germania! quam ingrata et despicienda es tu, quæ non inhæres vestigiis tuorum Bardorum! O vos cæteri ingrati! Qui autem inceperis, mutationes quaspiam instituere, lente procede, ne propera, decades annorum requirentur ad id. Neque puta, te omnia ex Slavonico et Dalmatico pro bonis assummere posse et debere; nequaquam, etiam illi debebunt multa nobis cedere, nec illorum sunt omnia bona; imo multa inveniuntur in illorum Dialecto pejora, ac apud nos sint. Ideo dico, et moneo, lente procedere, ne pro lapillo arenæ detur gemma. Non desine, qui incipis, solatio sint tibi verba, quæ ingeniose æque ac juste depromsit D. Schaffarik in sua Præfatione ad literaturam Slavicam pag. IV. „*So wie jetzt die Sachen stehen, bleibt der höher strebende Slavische Jüngling, in dessen Brust durch Zufall oder Fügung die Sehnsucht nach tieferem Erfassen seiner Muttersprache erwacht ist, lediglich auf Selbsthilfe, eigenes fortgesetztes beharrliches Studium gewiesen. Es ist aber ein beachtungswerther Zug in dem*

Nationalcharacter des Slawen, dass derselbe, einmal zum höhern geistigen Leben erwacht, und in der Überzeugung erstarkt, dass nur in der Muttersprache wahrhaft schöne Sprach- und Geistesvollendung zu erringen ist, weit entfernt, in dem harten Kampfe mit zahl- und namenlosen Hindernissen oft Gegenbestrebungen aller Art den Muth zu verlieren, vielmehr an dem erkannten Kleinod der angestammten Sprache und Volksthümlichkeit nur um so fester hält, und am Ende den Sieg davon trägt. Dieser tiefwurzelnden Nationalliebe der Slawen, die nur tückische Arglist oder neidische Selbstsucht läugnen kann, dient zum vollgiltigen Belege die durch unzählige Thatsachen erhärtete Bemerkung, dass seit einem Menschenalter, und darüber, alle Slawischen Mundarten, selbst diejenigen, die, fern vom Glanze des Hofes und der Grossen, nur noch im Hause Gottes und in der Hütte des Landmanns fortleben, ohne äusserer Begünstigung, in Folge jener innern belebenden Kraft, in stillem, aber desto sichererem Fortschreiten begriffen sind. Der gute Samen, den hochherzige, vaterländisch gesinnte Schriftsteller äussern, findet schon seinen weichen, befruchtenden, dankbaren Boden, und obwohl der Freund von der Nachtseite nicht müssig ist, Unkraut dazwischen zu streuen, so erhebt sich doch das Herz zu der tröstlichen Hoffnung, dass der grosse Tag der Ernte mit der Scheuer für den Weitzen, und dem Feuer für das Unkraut nicht ausbleiben wird.“

Medium generale, ut videre est, obtinendæ culturæ in Dialectis nostris, nempe conjunctionem hic statuebam! Quæ autem essent specialia media, missum linquo; partim quod eadem sint, quibus et aliæ nationes usæ fuere in puncto hoc, partim item, quod immaturo et incompetente proponerentur tempore.



